

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Oratio bo
in editionibus 1493/5 & 1550 cum fonte primo

rursus cum fuero consolatione domini reparatus et ipsius animatus aduentu uelut innumeris angelorum milibus me sensero circumsaeptum, ita ut eorum, quos morte grauius antea tremescebam et quorum tactum, immo uiciniam horrore mentis et corporis sentiebam, repente congressus expetere audeam ac prouocare conflictus: ut in me constantiae huius uigor per dei gratiam diutius inmoretur, totis mihi est uiribus proclamandum:

deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum mihi festina (Psa. 69:2).

huius igitur uersiculi oratio in aduersis ut eruamur, in prosperis ut seruemur nec extollamur incessabili iugitate fundenda est. huius, inquam, uersiculi meditatio in tuo pectore indisrupta uoluatur. hunc in opere quolibet seu ministerio uel itinere constitutus decantare non desinas. hunc et dormiens et reficiens et in ultimis naturae necessitatibus meditare.

Iohannes Cassianus, *Conlationes XXIII.*, 10, 10, 13-14 (CSEL 13, M. Petschenig ed., pp.301-2, ll.24-29, 1-9).

Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me festina.

Huius uersiculi oratio in aduersis ut eruamur, in prosperis ut seruemur, nec extollamur, incessabili iugitate fundenda est. huius igitur uersiculi meditatio in tuo pectore indisrupta uoluatur. hunc in opere quolibet siue ministerio, siue in itinere constitutus decantare non desinas. hunc et dormiens et reficiens et in ultimis naturae necessitatibus meditare.

Iohannes Cassianus in collatione Isaac capitulo X.

Flores omnium fere doctorum, Oratio bu (Venetiis, 1550), fol.363v.

Huius uersiculi oratio in aduersis ut eruamur in prosperis ne extollamur incessabili iugitate fundenda est. huius igitur uersiculi meditatio in tuo pectore indisrupta uoluatur hunc in opere quolibet siue ministerio siue itinere constitutus decantare non desinas. hunc et dormiens et residens et in ultimis naturae necessitatibus meditare.

Iohannes Cassianus in collationibus isaac. Deus in adiutorium.

Manipulus florum, Oratio bu (Venetiis, 1493/5), sig.&3v.